

ipsam tamen religionem, quam paucissimis & manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, servilibus oneribus premunt: ut tolerabilior sit conditio Judaeorum: qui etiam si tempus libertatis non agnoverint, legalibus tamen sarcinis, non humanis praesumptionibus subijciuntur. Sed Ecclesia Dei inter multam paleam multaque zizania constituta, multa tolerat: & tamen quae sunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit. Itaque illud quod scripsisti: quosdam fratres ita temperare à carnibus edendis, ut immundos qui comedunt arbitrentur, apertissime contra fidem sanamque doctrinam est.

Sed hic se ego diutius disputare voltero: poteris putare ante in illis obscuri aliquid hinc Apostolum praecipisse: qui etiam, post multa quae de hac re dixit, sic detestatus est haereticorum impiam opinionem, ut diceret: Spiritus autem manifeste dicit: Quia in novissimis temporibus recedant quidam à fide, intendentes spiritibus seductoribus: & doctrinae demoniorum in hypocriti mendaciorum: cauteriatam habentes conscientiam suam, prohibentes nubere: abstinentes à cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & his qui cognoverunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona est: & nihil abijciendum est, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Et alio loco de his rebus loquitur. Omnia, inquit, munda mundis: immundis autem & infidelibus nihil est mundum, sed polluta sunt eorum & mens & conscientia. Tu ipse lege cetera, & recita quibus potes, ne in se irritam faciant gratiam Dei: quia in libertate vocati sunt: tantum ne libertatem in occasionem carnis assumant. Et ideo jam voluit refrenandae carnalis concupiscentiae causa, à quibuslibet cibis temperari: quia non eis hoc permittitur superfluitate atque infideliter facere.

Hi vero qui de paginis Evangelicis sortes legunt: & si optandum est ut hoc potius faciant, quam ut ad demonia consulenda concurrant: tamen etiam ista mihi displicet consuetudo, ad negotia secularia & ad vitæ hujus vanitatem propter aliam vitam loquentia, oracula divina velle convertere.

Hæc tibi si satis esse ad ea quae requisisti non putaveris: nimis ignoras & vires & occupationes meas. Tantum enim ab eo quod putasti nihil me latere, ut nihil in Epistola tua legerim tristius: quia & apertissime falsum est: Et miror quia hoc te latet: quod non solum in aliis innumerabilibus rebus multa me latent: sed etiam in ipsis sanctis scripturis multo nesciam plura quam sciam. Et ideo spem in nomine Christi non infructuosam gero: quia non solum credidi Deo meo, in illis duobus præceptis totam legem prophetasque pendere: sed etiam expertus sum, experiorque quotidie: quandoquidem nullum mihi sacramentum, aut aliquis sermo admodum obscurior de sacris literis aperitur, ubi non eadem præcepta reperiam. Finis enim præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Et plenitudo legis charitas. Itaque & tu charissime, sive ista sive alia, sic lege, sic discere, ut memineris verissime dictum: Scientia inflat, charitas ædificat. Charitas autem non æmulatur, non inflat. Sic itaque adhibeatur scientia, tanquam machina quedam, per quam structura charitatis assurgat quæ maneat in æternum, etiam cum scientia destruetur: quæ ad finem charitatis adhibita, multum est utilis: per se autem ipsam sine tali fine, non modo superflua, sed etiam perniciose probata est. Scio autem quam te cogitatio sancta custodiat sub umbraculo alarum Domini Dei nostri. Sed ideo hæc etsi breviter monui: quoniam novi eandem ipsam charitatem tuam, quæ non æmulatur: hanc Epistolam multis daturam atque lecturam. \*

#### CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

*Dictum mirum, quam hic liber diversus habebatur in exemplaribus. Nec idem erat initium, & alia in aliis supererant aut deerant, tum pleraque diversa habebantur. Stylus palam arguit, non esse Hieronymi, etiam si non indignum censeam qui legatur. Gustus phrasos non abhorret ab oratione divi Augustini.*

\* Superior istæ disputatio de celebratione Pasche, est S. Augustini: consequens autem objurgatio existit inter Opera S. Ambrosii, cujus etiam

**P**UTO levius esse crimen ubi homo peccatum suum ulterius confitetur: quam ubi cælas mala, invitus detegitur & nolens publicatur. Quid taces anima? Quid cogitationibus æstuas? Quid non erumpis in vocem & mentis tuæ exponis ardorem: ut aliquod solatium capias? Hoc planè hoc erit quasi remedium quoddam ægritudinis tuæ, si aperto ore conceptum digerat scelus. Nam & ulcus cum fuerit tumidum, quamvis suppuratum, evaporans præstat refrigerium passioni.

Audite nunc qui propè estis & qui longè, qui timetis Deum, & Ecclesiæ ejus gaudio congaudetis, & tristitiæ conlugetis: sicut scriptum est: Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Vos inquam appello, qui charitatem Christi verissimam retinetis, & non super iniquitate gaudeatis, sed potius ingemiscitis. Advertite potius verba oris mei: & an hæc justo ex dolore procedant judicate, & detestati sceleris qualitatem mecum pariter perhorrete. Virgo nobilis, & dicata Christo, sapiens, erudita, ruit in foveam turpitudinis: concepit dolorem, & peperit iniquitatem: se perdidit, Ecclesiam maculavit. Hinc omnis anima Christiana grave vulnus accipit, quia datum est sanctum canibus, & margaritæ missæ sunt ante porcos. A rabidis enim hominibus laceratum est nomen sanctitatis, & ab immundis & luteis preciosum conculcatur est propositum sanctitatis & castitatis. Hinc æstus animo meo, hinc insanabilis dolor. Quia unum malum bona plurima secum trahit: & unius nubecula peccatricis, totam lucem pene obscuravit Ecclesiæ. Audite me omnes populi, & videte dolorem meum. Virgines meæ, & juvenes mei abierunt in captivitatem. Verè hæc est captivitas, ubi animæ peccato captivæ ducuntur.

Allumam ergo sermonem propheticum, & flebiliter dicam: Ad te nunc mihi meus sermo sit, quæ caput horum & causa malorum es: quæ multipliciter misera, cum gloria virginitatis nomen etiam perdidisti. Nefas enim est Susannam vocari non castam. Non licet nominare, quod non est. Unde incipiam: quid primum, quid ultimum dicam? Bona commemorem, quæ perdidisti: an mala deseam, quæ invenisti? Eras virgo in paradiso Dei: utique in Ecclesia eras sponsa Christi, eras templum Domini, eras habitaculum Spiritus sancti. Et cum dico toties eras, necesse est ut toties ingemiscas: quia non es quod fuisti. Incedebas in Ecclesia tanquam columba illa, de qua scriptum est: Pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in specie auri. Splendebas ut argentum, fulgebas ut aurum, sinceram conscientiam præferebas. Eras tanquam stella radians in manu Domini, nullas belli nebulas, nullum ventum, pertimescens.

Quæ est ista subita conversio? quæ est ista repentina mutatio? De Dei virgine facta es corruptio fatana: de sponsa Christi, facta es scorum execrabilis: de Templo Domini, sanum immunditiæ: de habitaculo Spiritus sancti, tugurium diaboli. Quæ incedebas cum fiducia ut columba, nunc lates in tenebris ut stellio. Quæ fulgebas ut aurum propter virginitatis decorem, nunc vilis facta es tanquam lutum platearum: ut etiam indignorum pedibus conculceris. Quæ fueras stella radians in manu Domini, veluti de alto ruens cælo, conversa es in carbonem nigrum. Væ tibi misera, & iterum væ, quæ tanta bona, parva temporis luxuria perdidisti. Quam tibi spem apud Christum Dominum reliquisti: cujus membra tollens, fecisti membra meretricis? Quis te Spiritus sanctus visitabit, cum eum repudiaveris qui te à cogitationibus quoque fordidis longe facit?

Sed veniamus ad humana, ut per illa divina cognoscantur. Aspice qui sanctorum, quæ sanctorum tibi approximare non horrent? Aperi oculos si potes: erige frontem si aures: aliquem sanctorum fiducialiter intueri. Nonne tuam faciem conscientia commissa tanquam plumbum inclinant & premunt? nonne tenebræ ante oculos tuos ut dura caligo versantur? Nonne timor & tremor animam tuam & membra tua quassant? Si ergo homines in carne constitutos, & aliquid forsitan delicti obnoxios non potes intueri, gravi utique confusione sepulta, quid facies coram castis Apostolis: quid facies coram Helia & Daniele, & tantorum exercitu prophetarum? Quid facies coram Maria? Quid facies coram

nomine inscribitur in MS. codice Monasterii S. Andreæ secus Avenionem.

Joanne

Joanne & Tecla, maculato thoro puritatis? Quid denique facies coram angelis sanctis: Nonne splendore & claritate immaculatum, quasi fulminibus percussa combureris?

Sed dictura es forsitan, non potui sustinere, quia carnem fragilem circumferebam. Respondet tibi beata Tecla cum suis innumerabilibus sociabus: & nos eadem carne amictæ fuimus: nec tamen plenum propositum castitatis nostræ aut fragilitas carnis potuit mutilare, aut savitia tyrannorum per varia tormenta dejicere. Revera non potest caro corrumpi nisi mens fuerit ante corrupta. Remanebit ergo in crimine anima, quæ carnem præcedit in crimine.

Sed dices: Nolui hoc malum, passa sum violentiam. Respondet tibi illa fortissima Susanna, cujus tu nomen fallaciter bajulas: Ego inter duos presbyteros posita, inter duos utique iudices populi, sola inter sylvas paradisi constituta, vinci non potui quia nec volui. Tu ab uno ineptissimo adolescentente, in media civitate, quomodo vān poruisti perferre, nisi quia ultro violari voluisti? Quis denique tuas voces audivit: quis oblationes sensit?

Ut autem hæc omittam, certe post illatam violentiam detegere scelus, si non aliis, vel tuis parentibus, vel tuis fororibus debuisti. Elset enim excusatio infelicitatis: elset & conscientia plena purgatio, si hostem pudicitia tuæ deduxisses in publicum. Sed erubuit, ne forsitan te violatam multi cognoscerent. Ut quid timuisti, ubi non erat timor: nisi ut tacendo crimen, cum adultero sepius te sociares? Esto autem pudor te prohibuit consistere, quid de secunda conjunctione dicis? quid de tertia? quid de frequenti commercio forditatis? Cessat, cessat jam violentia figmentum, cessat ruboris argumentum, ubi toties membra illa dicata Christo cælesti, mœchi tui visceribus polluenda præbuit.

Horret, horret animus meus, mens hebescit cum ad imum sceleris pervenitur. Nam & medicus quamvis fortis sit animi: tamen cum altius fecat vulnus, puto ex parte aliqua sustinebit horrorem. Heu perdita, jam ne intelligis omnes tibi vias excusationis penitus clausas? Jam ne sentis quantum tibi mali & in carne & in anima nefaria libido contulerit? Non istam de te confusionem tuus expectaverat pater, qui te sibi singularem gloriam computabat. Non hunc ludum & has lachrymas ex te sibi crediderat tua nasci mater, quæ partus sui genitus, per tuam virginitatem solabatur. Non fratres tui, non forores hoc ex te dedecus expectabant: quos omnes quasi uno gladio tui sceleris graviter faucisti. Si fuisses communi sorte defuncta, desissent te ad modicum parentes: sed exultarent gaudentes: quia immaculatam præmierint virginem, hostiam vivam Domino, propitiaricem suorum videlicet delictorum. Ad nunc plangunt mortuum & non mortuum, plangunt vivam & non vivam. Mortuam utique gloria virginitatis: vivam dedecore turpitudinis. Iratus est pater tuis visceribus, de quibus feminata es: Maledicenti pater tuo utero, ex quo in hanc lucem infeliciter processisti: nec tamen modum suo dolori reperit, nisi hoc planè solum videntur sibi habere solatium, quia nec te pater compulit: nec mater coegit ut virginitatem profitereris, quam ultro & propria voluntate professæ es. Nam scio cum multis difficultatibus tua genitrix proponeret: cum arduum esset iter servandæ virginitatis integræ, te non solum pertinaciter resistisse: sed etiam revelationes tibi datas dixisse terribiles. In quantum ergo mercedem sibi sperabant, ex quo non tuo proposito resistenter, intantum tibi misera intellige pondus iudicii crescere, quia non servasti quod ultro promissisti.

Quibus te spiris serpens ille nequissimus obligavit? Quibus te venenis infecit ille qui Evam decepit: ut tanta te cecitate percuteret: ut tantam animæ tuæ faceret oblivionem? Non es memorata diem sanctum, diem dominicæ resurrectionis, in quo divino altari te obtulisti velandam. In tanto namque solenni conventu Ecclesiæ Dei, inter lumina neophytorum, inter candidatos regni cælestis, quasi regina regi nuptura processeris. Non es memorata, qualis ad te die illo est facta allocutio: Aspice filia, intueri virgo, quantum ad sponsi tui & Domini gloriam convenerit populus: servare te oportet fidem quam sub tantis testibus polliceris. Semper cogita cui virginitatem sponderis tuam. Facilius te oportet sanguinem cum spiritu fundere, quam perdere castitatem. Quantis in illo die consecrationis tuæ dicitis, & multis super castitate præconiis, sacro velamine tecta es: ubi omnis populus dotem tuam subscribens, non attramento, sed spiritu pariter clamavit: Amen.

Tom. V.

Vincor lachrymis, cum hæc recordor: compungor stimulis, cum ad hæc humana exempla considero. Nam si decem testibus sponalibus consummatis, quævis fœmina viro conjuncta mortali, non sine magno periculo perpetrat adulterium: quid putas fore cum inter innumerabiles testes Ecclesiæ, coram angelis & exercitibus cæli facta copula spiritualis per adulterium solvitur? Nescio an possit ei condigna mors ac poena excogitari. Dicit aliquis: Melius est nubere quam uri. Hoc dictum ad nondum pollicitam pertinet, ad nondum velatam.

Cæterum quæ se spondit Christo, & sanctum velamen accepit, jam nupsit, jam immortalis juncta est viro: & jam si voluerit nubere ecommuni lege conjugii, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Si hoc ita est: quid de ea dicendum est, quæ occulta furtivaque turpitudine constupratur, & fingit se esse quod non est: habitu virgo, facta non virgo: bis adultera, & in aspectu, & actu. Sed ad te iterum redeo, quæ oblivionem tantorum passa honorum es: & receptaculum tantorum facta malorum es: Quomodo tibi in actu ignominioso illo non veniebat in mentem habitus virginalis, processus ad Ecclesiam inter virgineos choros? Quomodo oculos tuos non prestringebat lux virginalis: aures tuas non penetrabat hymnorum spiritualium cantus: mentem tuam non ventilabat lectio numerum celestium virtus? Hoc vel maxime clamante Apostolo: Fugite fornicationem: Quia omne peccatum quod fecerit homo, extra corpus est. Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Et cum dicit, in corpus suum, tamen in Christum peccare demonstrat: quia subijgit, Non estis vestri. Empti enim estis pretio magno: glorificate & portate Dominum in corpore vestro. Et iterum dicit: Fornicatio autem & immunditia, nec nominetur inter vos, sicut decet sanctos: & seposita omni adulatione, sententiam figit Apostolus: Hoc scitote, inquit, intelligentes: quia omnis fornicator aut immundus, non erit heres in regno Christi & Dei.

Hæc tanta & tam terribilia non veniebat tibi in mentem, cum ad illud opus nefarium tua membra peterentur: sed mortifera te oblivio tanquam in gurgitem altissimum demergebat: & quasi captivam execrabilis libido ducebat. Nonne vel illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas recordari debuisti: ad quem religiose & nobiles matrone certatim currebant, tua oscula petentes, quasi sanctioris, quasi dignioris? Nonne vel illa præcepta quæ oculis tuis ipse scriptus paries ingerebat recordari debuisti: divisa est mulier & virgo? Quæ non est nupta, sollicita est quæ Domini sunt, quomodo sit sancta corpore & spiritu. Tu autem in contrarium versans, ita agebas, ut nec corpore elles sancta, nec spiritu. Corpore quidem fornicando: spiritu autem virginitatem mentiendo. Proh nefas, solet fama subsequi factum: tuum autem malum fama prævenit. Nam cum ante triennium rumor quidam & susurratio de te fuisset: tu sinceritatem pretendebas, & vindictam de maledicis in Ecclesia publicè postulas.

Quos æstus ego sustinui? Quos pater tuus pro tua sustulit opinione labores, requirentes singulos, singulos astringentes ut autorem infamiae inveniremus? Grave enim erat nobis & intolerabile de Dei virgine vel turpe aliquid dici. Nec hoc verita es, nec ante oculos habuisti: ut venires inimicis in gaudium, & eos haberes infensos, qui pro tua opinione laborabant. Multum audax multumque temeraria es: si te conscientia non terret, ut simulata virginitate, putes te etiam dominum posse fallere, quid dicit: Nihil occultum quod non revocetur: nec absconditum, quod non sciatur. Et vos, inquit, fecistis in occulto: ego autem faciam in manifesto: ille qui non mentitur furtivum scelus deduxit in publicum: & in conspectu solis hujus tenebrarum harum opera nudavit. O, inquit, qui præterdit sermone, crudeliora incurrit: & cupiens moderari non invenit.

Oblita ergo propositum, oblita parentes, oblita Ecclesiam totam, oblita gloriam virginitatis, oblita honorem dignitatis etiam præsentem, oblita promissionem regni, oblita terribile iudicium: amplexa es corruptionem & protulisti fructum confusionis: finem vero mortem fœvissimam & interitum sempiternum. Et certe non habes quod de nostra negligentia conqueraris. Quodcumque enim ad officium pertinuit pastoris, & tibi ut omnibus non negatum est. Dilectio specialis adhibita, communio sancta non desuit. Oblita domum patris, sicut scriptum est, ad monasterium virginalis transisti, ut inter tot posita, non solum dico tuta esse debuisti si voluisses: sed etiam de aliis tutam præstare debuisses. Sed frustra

M



hæc & alia sunt provisa: frustra hymnum virginitatis exposui, quo gloriam propositam & observantiam pariter decantares. Seminavi fecus viam, seminavi in spinis, seminavi in petrosa terra. Aut enim ex corde tuo verbum meum volucres, id est, demones rapuerunt, aut malis suis cogitationibus suffocatum est, aut aruit nimio ardore libidinis.

Heu me, quia ubi me putabam ædificare aurum, & argentum & lapides preciosos: inventa sunt ligna sœpum, stipula, aridura materia. Laborasse ergo me dicam secundum Prophetam: Heu me, quia factus sum, sicut qui colligit stipulam in messe. Et quidem si tibi sola damnum fecisses: erat quidem tristitia, sed forsitan tolerabilis. Nunc vero quantas animas hoc tuo scelere faucias? quantas animas propter te de proposito suo pœnitere fecisti? Quanta labia etiam fidelium inquinata sunt, viam Domini blasphemando. Aperuit in nos gentilitas os suum. Adversus Ecclesiam sanctam synagoga Judæorum per tuum dedecus exultavit. Quod si is qui unum scandalizaverit, mola circumdatus præcipitari debet in mari: quid de te pronuncias: de cuius scelere omnis anima fauciat est, & nomen Domini in gentibus blasphematum? Nonne quoties dicitur virgo, toties tibi cumulus iniquitatis accrescit? Jaces ecce vulnerata, jaces ecce prostrata. Cupio prodesse, sed subvenire non possum, quia totum caput in dolore est & totum corpus in mœsticia à pedibus usque ad caput: sicut ait Isaïas: Non est malagma imponere, infirmitas tua omne humane medicinæ excludit auxilium. Et licet tam boni quam mali iusta indignatione permoti, te omni depopulatione dedecoratam, omni tormentorum genere discruciatam, judicent morte multandam, aut ignibus exurendam.

Ego tamen qui scio graviora facinoris servari tormenta, & sine fine impias animas manere cruciatas: non temporalem utique, non animam perditurus ego: sed secundum divinam sententiam dabo consilium. Solum enim & unicum tentandum est remedium illud, quod divina vox per Ezechielem miseris porrigit. Nolo mortem, inquit, peccatoris: tantum ut convertatur & vivat. Et iterum: Post hoc inquit, dixi: Convertere ad me, nunquid resina non est in Galaad: aut medicus non est ibi? Quare non ascendit sanitas filia populii mei? Hæc utique dicta pœnitentiam sapiunt: hæc sententiæ Dei, vocant ad pœnitentiam, revocant ab errore. Pœnitudo ergo est necessaria lapsis: vulneratis necessaria medicamina. Sed quanta putas & qualis necessaria est: ut aut æquet crimen, aut certè excedat.

Vide ergo si simplex hoc peccatum adulterii est, aut duplex: duplex ergo fit per illam necem quæ facta dicitur in oculo: & secundum conscientia molem exhibenda est pœnitentiæ magnitudo. Pœnitentia autem non verbo agenda est, sed facta. Hæc autem sic agitur, si tibi ante oculos proponas de quanta gloria lapsa fueris: & de quo libro vite nomen tuum deletum sit: & te jam postquam credas prope ipsas tenebras exteriores, ubi erit fletus oculorum & stridor dentium sine fine. Cum hæc certa fide sicut est, animo conceperis: quia necesse est peccatricem animam tartareis pœnis & gehennæ ignibus tradi: nec aliud esse remedium constitutum post unicum baptisma quam pœnitentiæ solatium, quantumvis laborem & indecorum subire contende, dummodo ab æternalibus pœnis libereris.

Ergo hæc tecum cogitans, & mente contractans, facti tui ipsa iudex esto crudelior. In primis omnis cura vite hujus intermittenda est tibi, & quasi mortuam te existima sicut es, quomodo possis reviviscere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mens & membra singula digna castigatione puniendi. Amputentur crines, qui per vanam gloriam, occasionem luxuriæ præstiterunt. Defluant oculis lachrymæ, qui masculum non simpliciter aspexerunt. Pallefcet facies, quæ quondam irruit impudicè. Totum denique corpus injuriis & jejuniis maceretur: cinere aspersum & cilicio perhorrescat: quia male sibi de pulchritudine placuit. Cor vero sit liquefcens tanquam cera in jejuniis, inquietans seipsum, & cogitationibus ventilans, quare sit ab inimico subversum. Sensus etiam crucietur, quia in membra corporis, cum haberet dominationem, malum gessit imperium.

Talis actio pœnitentiæ, si fuerit perseverans, audebit hic sperare, si non gloriam, certè pœnæ evacuationem: Dicit enim Deus: Convertimini ad me, & convertar ad vos. Convertimini in toto corde vestro, in jejuniis, & fletu, & luctu: dirumpite corda vestra, & non vestimenta: quia Deus pius

& misericors est. Sic conversus ille magnus David justificatus est. Sic Ninive peccatrix illa civitas, incumbentem sibi evasit interitum. Peccator ergo si sibi non pepererit, à Deo illi parceretur: & si futuras pœnas gehennæ perpetuas in hoc parvo vite spatio compenlaverit, seipsum ab æterno iudicio liberabit. Grandi plage alta & proluxa opus est medicina. Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem.

Non est dubium levius esse crimen, ubi homo peccatum suum ultro confitetur pœnitens. At ubi celans mala sua invidus detegitur, & nolens publicatur: illud gravius scelus est: quod utique tibi provenisse negare non poteris. Et ideo fortius est dolendum, quia peccatum est fortius. Si mente cernerent homines quale iudicium emittet Deus mundo: sensus humanus non dispergeretur vanitate sæculi, si non infidelitate gravarentur. Quantumvis, & qualemvis cruciatum ad præsens libentissimè sufferrent, etiam si esset longior vita, dummodo illas pœnas æterni ignis non incurrerent. Sed tu quæ jam ingressa es agonem pœnitentiæ, insite misera, fortiter inhære, tanquam naufragus tabula, sperans per ipsam te posse de profundo criminum liberari. Inhære pœnitentiæ usque ad exitum vite tue: nec tibi præsumas ab humano die posse veniam dari, quia decipit te, quicumque tibi hoc polliceri voluerit: quæ enim propriè in Domino peccasti, ab illo solo quare remedium.

*In corruptoem inveitio.*

**D**E te autem quid dicam fili serpentis, minister diaboli, violator Templi Dei: qui in uno scelere duo crimina perpetrasti, adulterium utique & sacrilegium? Sacrilegium plane ubi vas Christo oblatum, Domino dedicatum, dementi temeritate polluisti: Sicut Balthasar ille Persarum, qui quia in vas dominicis, quæ de templo Jerusalem fuerant à patre ejus sublata, bibere cum suis amicis & concubinis usurpavit, ipsa nocte angeli manu percussus, crudeli morte punitus est. Quid de te arbitraris, perdit pariter, & perdit, qui vas rationale consecratum Christo, sanctificatum Spiritui sancto, temerarie impietatis sacrilegio polluisti: & tui propositi immemor, & iudicii divini contemptor. Melius enim fuerat te fuisse non natum, quam te sibi gehenna proprium filium vendicaret. Et licet te ipsum conscientia sceleris agat per diversa præcipitem: fugit enim impius nemine persequente: licet & dixæ peccati imagines dormientem quoque perterreat, nedum vigilantem: tamen cum neque à pastore etiam ovi morbide vel mortura denegatum sit pœnitentiæ remedium:

Do consilium: petas ultro carcerem pœnitentiæ, obruas catenis viscera, animam tuam gemitu jejuniisq; discrucies, sanctorum petas auxilium, jaces sub pedibus electorum, ut non tibi per cor impenitentis thesaurus iram in die iræ & ultimi iudicii Dei, qui reddet singulis secundum opera ipsorum. Nec te in eorum numero constituas, quos lugeat Paulus. Qui ante peccaverunt, inquit, & non egerunt pœnitentiam super immunditia & fornicatione, & libidine, quam gesserunt. Nec tibi de multitudine peccantium similibus blandiaris & dicas: Non solus hoc egi, multos habeo socios: sed recogita, quia multitudo sociorum impunitatem non facit criminum. Nam in Sodoma & Gomorra, & in totis quinque civitatibus innumerabiles utique habitabant: sed ecce omnes pariter qui libidinosè corpora sua tractaverunt, imbris igneis conflagrati sunt: solus autem Loth de illo inevitabili incendio effugit, quia ab illa turpitudine se præstiterat alienum. Excludere ergo vel nunc infelix, de corde tuo blandimenta serpentis: & luctu & fletibus dum in corpore tuo immundo anima illa tenebrosa versatur, remedium tibi in die necessitatis acquirere: semper ante oculos habens Apostoli sententiam: Quia omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis sui secundum quod gessit, sive bonum sive malum.

*Ad lapsam consolatio.*

**Q**UIS consolabitur te virgo filia Sion, quia magna facta est sicut mare contritio tua? Effunde cor tuum sicut aquam coram facie Domini. Extolle ad eum manus tuas pro remedio peccatorum tuorum. Accipe igitur lamentum, & primò quidem nullo die quinquagesimus psalmus intermit-

tatur: qui in negotio tali cantatur usque ad versiculum illum: Cor contritum & humiliatum Deus non spernit: gemitu lachrymisque percurte. Insuper hanc lamentationem, non sine compunctione cordis in conspectu Dei iudicis funde: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut deseam vulnera animæ meæ? Conversi sunt dies festi mei in luctum: cantica mea in lamentationem. Recessit sonus hymnorum, & læticia psalmorum, & successit dentium stridor, & fletus oculorum. Obmutui, & humiliata sum, & silui à bonis, & dolor meus per singulos dies renovabitur. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardefcit ignis. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Abyssus circumdedit me, extremo dimiserit caput meum in scissura inferi.

Heu me quia facta sum sicut Sodoma, & combusta sicut Gomorra. Quis miserebitur cineri meo? Durius offendi quam Sodoma, quia legem neficiens illa deliquit: ego accepta gratia peccavi. Si homo peccet in hominem, erit qui interveniat. Ego peccavi in Domino, quem propitiorem inveniam? Concepi dolorem, & peperit iniquitatem. Lacum fodi, & incidi in foveam quam operata sum. Ideo conversus est dolor in caput meum, & in vertice meo iniquitas mea devenit. Immundicia mea ante pedes meos, non fui memor novissimorum, & cecidi miserabiliter, nec est qui consolatur me.

O quam acerbus fructus luxuriæ, amarior felle, crudelior gladio. Quomodo facta sum in desolationem? subito defeci, perii propter iniquitatem meam, velut somnium surgentis. Ideo in civitate Domini vilificata est imago mea: deletum est de libro nomen meum. Facta sum sicut nycticorax in domicilio, sicut passer unicus in edificio, nec qui consolatur me invenio. Considero à dextris & video, nec est qui cognoscit me. Perit fuga à me, & non est qui requirit animam meam. Facta sum sicut vas perditum. Audivi vituperationem omnium circumhabitantium. Væ dici illi, in quo me infelicem genuit uterus, & lux ista crudelis accepit. Oportuerat me potius non fuisse natam, quam sic in gentibus facula fierem. Propter me confusio & improprium factum est famulis Domini & eum dignè colentibus.

Lugete me montes & flumina, quia fletus filia ego sum. Lugeat me bestia sylvarum, reptilia terræ, & volucres cœli, & omnes animæ, quæ vita fruimini. Nunc vos beata fera & volucres, quibus nullus metus de inferis est, neque postmodum reddituræ estis rationem. Nobis manet pœna crudelis tartari, quia habentes sensum delinquimus. Ideo non est pax peccatoribus. Meum peccatum, mea iniquitas non sunt Pax illi offeris hominum: quia horribilis est hæc impietas, carne polluere virginem, & castitatem professam. Mentita sum in Dominum altissimum: ideo non est mihi fiducia invocandi Dominum altissimum, quia obstructum est os loquentium iniqua. Nam malum meum Propheta cecinit, quod qui elongant se à Domino, peribunt. Disperdit omnem fornicantem à se. Et si abest lingua faucibus meis, & in pulvere mortis deducta sum: veruntamen clamabo ad Dominum. Adhuc tempus est, dum datur spatium, quia in morte non erit memoria. In inferno non est confessio. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Quoniam sagitta tuæ infixæ sunt mihi, nec est sanitas in carne mea. A vulu ira tuæ, non est pax ossibus meis, à facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Computruerunt & deterioraverunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ. Miseriis afflicta sum, & curvata in sinem, rugiebam à gemitu cordis mei. Cor meum conturbatum est, defecit me fortitudo mea & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. Deus repulisti me, & destruxisti me, ostendisti mihi dura, porcionasti me vino compunctionis. Expulsa sum ab oculis tuis, jam non adiciam ut respiciam ad templum sanctum tuum, facta sum in exterminium. Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Nunquid mortuis facies mirabilia? Tuus sermo est, tua promissio est: Nolo mortem peccatoris, sed conversionem.

Ut possim vivere ad te Deus converto me, qui solus potes novare omnia: Tu ab inferis animas revocas, & solvis compeditos: Tu Deus erigis elisos, cæcos illuminas, mortuos suscitans, erravi sicut ovis perdita, quare famulam tuam, ne lupus crudelis glutiat me. Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo ejus. Sed & tuum consilium tecum est. Quot

sunt dies famulæ tuæ, quando facies de me iudicium? Sed ne intres in iudicium cum famula tua. Defecit anima mea in salutari tuo, defecerunt lachrymis oculi mei, effusa est in terram gloria mea. Quando respicies propter iniquitatem. Corripisti hominem & tabescere fecisti sicut araneam animam meam. Memento Domine quod pulvis sum. Vide humilitatem meam, & laborem meum, & remitte mihi ut refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero. (Sordidatam non aspernas me, in ira tua Domine: Sufferam, quia peccavi tibi. Credulitate Domine justifices causam pœnitentiæ. Confessionis perseverantiam tribue, ne me induret deceptor. Mihi gratiam de tuo fonte præstari cupio: & in æternum tibi adhaerere Domine Deus meus.)

*CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.*

*Hæc nec inloquens est, nec indocta, quamquam ab Hieronymiana dictione longe lateque distans. Magis autem Paulinum respicit quam Augustinum. Nam si verus esset titulus, qui testabatur ab Hieronymo scriptam ad Evagrium: si ad Episcopum scribit Evagrium, stultum est eum vocare fratrem: si ad nondum Episcopum nulla vestigia familiaritatis in Epistola.*

*IN EVAGRIUM OBJURGATIO,*  
quod levitiam lapsum non consolatus sit.

**N**ISI vereretur beatissime frater, ne inter simulatos amicos Job, mihi portio poneretur, qui videntes plagam ejus, veluti qui non haberent consolationem, jugi silentio quieverunt: prope fuerat, ut ego superposita manu ori, & obdurata lingua fistula, januas laborum meorum taciturnitate concluderem. Sed absit hoc à fide mea, ut aliquam plagam dicam esse, quæ non habeat consolationem, cum mihi Propheta proclamet: Nunquid medicus non est in Galaad: aut resina non est illic? Quare non ascendit sanitas filia plebis meæ? Galaad enim acervus testis interpretatur: & hunc acervum testem, totum canonem divinatorum librorum esse sentimus, ubi indissolubilem cumulus testimoniorum, velut quidem congestus est lapidum: in quo cumulo medicus versus Deus meus Jesus Christus, si quæsitus fuerit, invenitur. Resina autem quid nisi continentia virtus est, quæ dissoluta conjungit, & scissa conglutinat? Quod nos scientes non dubitamus ad consolationem plage quæ contigit, oris nostri lamenta miscere. Audivimus enim horrendæ cladis excidium, audivimus exultantes de ruina Christi, milites Sathan: & jubilatio vocis quam in triumpho suo diabolicus dedit exercitus, ad aures nostras usque pervenit. Et testem Deum invoco in animam meam: quia ita commota sunt viscera mea, ita contremuerunt ossa mea: ut omnem partem corporis mei sentirem eadem plaga torqueri. Absque damno meo hoc accidisse non dixerim malum, ubi membra corporis mei diabolica sagitta percussit, cum Apostolus dicat: Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.

Sed non admittitur animus meus in totum lamentationi vacare vel fletui, quia & adversum vos mihi est locus irascendi. Ecce contra communes inimicos processit vobiscum frater in prælio, qui subito prostratus est casu. Hunc vos nec sepulture dignum iudicatis honore, sed reliquistis eum feris, & alitibus devorandum. Ubi est misericordia Christianæ religionis, quam magister noster sacrificio docuit esse meliorem? Ecce jacet frater ab hoste percussus, adhuc forsitan palpitans: & vos quia sine vulnere revertimini, ne consolationem quidem obrulistis. Nolite esse sine formidine beatissimi fratres, fortiorem percussit inimicus, ut celerior ei postmodum aditus esset ad reliquos. Ut quid rogo spernit vulneratum, aut sicut putatis & mortuum? melior illa respa concubina Saulis, quæ corpora mortuorum, quæ David pro Gabaonitarum ultione percussit, eo usque accincta sacco, hoc est cilicio, custodivit, donec eis toraret aqua de cælo, id est, donec pro venia eorum misericordia cælestis deflueret. Melior ille Judas Machabæus, qui etiam pro mortuis fratribus orationem credidit esse faciendam, quos furata de Jamnia civitate idolorum dona prostraverant.

Ut quid rogo medicus noster inter librorum suorum loculos tot constituit genera pigmentorum, si nihil est ex emplastris